

Reliquiis praepositae Voto, Indulgentias a San. Mem. Clemente XII docentibus et addiscentibus Catechismum, Doctrinamve Christianam concessas, partialem videlicet septem annorum totidemque quadragenarum, pro qualibet vice, et Plenariam in tribus diebus festis nimirum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicae, nec non Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum (revocata antedicta centum dierum Indulgentiam) ad praefatam Evangelii explicationem clementer extendit.
Datum die 31 Julii 1756.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXII.

NULLIUS DIOECESIS PROVINCIAE MOGUNTINAE

Ad humillimas et enixas preces Domini Engelberti S. R. I. Principis, ac Moderni Abbatis Ducalis et Imperialis Monasterii Assumptionis B. M. V. Oppidi Civitatis nuncupat. Campidunensis Ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis Provinciae Moguntinae, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV eidem Engelberto, ejusque successoribus, ac omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, coeterisque Monachis Sacerdotibus ipsimet et pro tempore existenti Abbati perpetuo subjectis, Numismata, seu Medallas, vel Cruces, aut Cruculas etc. (*ut in Decreto sub numero CCXXVI*). Datum Romae die 31 Julii 1756.

CCXXXIII.

NULLIUS DIOECESIS PROVINCIAE MOGUNTINAE

Ad humillimas et enixas preces Domini Gasparis S. R. I. Principis, ac Moderni Abbatis Imperialis Monasterii Sanctorum Viti, et Stephani Martyrum Oppidi Civitatis nuncupat. Corbejensis Ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis, Provinciae Moguntinae Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV eidem Gaspari, ejusque Successoribus, ac omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, coeterisque Monachis Sacerdotibus ipsimet, et pro tempore existenti Abbati perpetuo subjectis, Numismata,

seu Medallas, vel Cruces, aut Cruculas etc. (*ut in Decreto sub numero CCXXVI*). Datum Romae die 31 Julii 1756.

CCXXXIV.

ORDINIS S. BENEDICTI

Cum sicut humillime exponebatur per Constitutiones Monachorum Ordinis S. Benedicti in cujuscumque Presbyteri, vel Clerici aut Laici Ordinis praefati diebus obitus, vel alia die, aliquot Missae juxta Constitutiones praedictas a Monachis in Sacro Presbyteratus Ordine constitutis pro anima Defuncti celebrari debeant, aut soleant; Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV praevia revocatione alterius similis decreti sub die 19 Julii 1755 expediti supplicationibus nomine D. Benedicti de Geisman Abbatis Werdinensis et Halmstadiensis Praesidis Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existen. porrectis, benigne concessit, ut, quandocumque Sacerdos aliquis ejusdem Ordinis et Congregationis Missam vel in die obitus Monachorum, vel in alio juxta Constitutiones praefatas ad quodcumque Altare Ecclesiarum tam Monachorum, quam Monialium Congregationis praedictae quam aliarum etiam Ecclesiarum pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Missa hujusmodi Animae pro qua celebrata fuerit perinde suffragetur, ac si ad Altare privilegiatum celebrata fuisset. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 8 Februarii 1757.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXV.

ORDINIS S. BENEDICTI

Ad humillimas preces Moderni Abbatis Generalis Monasteriorum Monachorum Ordinis S. Benedicti in Regnis et Dominiis Fidelissimi Regis Portugalliae et Algarbiorum existentium San-

etissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV praevia revocatione alterius Altaris privilegiati, quatenus adsit concessi, nec non alterius similis decreti benigne concessit, atque indulgit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque Sacerdoti Saeculari, vel alicujus Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis ad Altare, semel tantum per respectivos Locorum Ordinarios designandum in qualibet ex Ecclesiis Monachorum ejusdem Ordinis S. Benedicti in supradictis Regnis et Dominiis tantum existentes, et sub regimine, et gubernio ejusdem Abbatis subjectas pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Mariae Virginis Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro decreto. Voluitque Sanctitas Sua hanc concessionem suffragari debere, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 28 Martii 1757.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXVI.

Etsi pro Viae Crucis exercitio peragendo plura prodierint saluberrima tum Summorum Pontificum Brevia, tum Sac. hujus Congregationis decreta, adhuc tamen variae opiniones evulgabantur circa illius modum et praesertim an pro Indulgentiis consequendis semper necessarius esset localis motus de una Statione ad aliam; quapropter ad removenda dubia, quae quotidie super modo hujusce visitationis excitabantur, et Christifideles certo scirent, quomodo deberent se gerere pro Indulgentiarum consecutione, operae praetium fuit huic Sac. Congregationi sequentia dubia proponere: Primo « *An in peragendo Viae Crucis exercitio semper necessario requiratur localis motus de una Statione ad aliam pro acquirendis Indulgentiis pium hujusmodi opus peragentibus? et quatenus negative.* » Secundo « *An et*

quaenam methodus sit praescribenda? » Et Eadem Sac. Congregatio post maturum evulgarum opinionum examen die 23 Julii 1757 respondit: Ad primum « *Negative* »; Ad Secundum « *Ad mentem, quae in eo versabatur, ut Eminentissimus Praefectus cum Secretario sequentem praescriberet methodum, ut nimirum pro publico exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente Sacerdos cum duobus Clericis sive Cantoribus circumbeat, ac sistens in qualibet Statione, ibique recitans peculiare consuetae preces, coeteris alternatim respondentibus: pro privato autem tribuatur Episcopis facultas praescribendi tempus pro peragendo dicto exercitio opportunum* ». De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 6 Augusti ejusdem anni Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Votum benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXVII.

In Congregatione habita die 23 Julii 1757 propositis dubiis 1.^o « *An facultas a S. Sede concessa Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum benedicendi ac distribuendi Scapularia coerulea Conceptionis B. Mariae Virginis ab eisdem Clericis delegari possit alius extra eorum Congregationem?* » et quatenus negative. 2.^o « *Quomodo providendum quoad jam factas delegationes hujusmodi?* » Eadem Sac. Congregatio serio matureque perpensis rationibus a Patribus Theatinis allatis, rescripsit: Ad Primum « *Negative* ». Ad Secundum « *Ad mentem, quae fuit consulendum esse Sanctissimo Domino Nostro haecenus ab iisdem Patribus exteris factas simplici Rescripto esse sanandas, et in posterum delegationes hujusmodi nullo modo esse faciendas* ». De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Secretarium die 6 Augusti ejusdem anni Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Votum

Sac. Congregationis benigne approbando clementer sanavit hactenus factas delegationes, et concessit ut Christifideles utriusque sexus qui Scapularia coerulea B. V. Mariae Immaculatae benedicta ab aliis, quam a Sacerdotibus Clericis Regularibus Theatinis vigore praesumptae facultatis Praepositorum Generalium Theatorum, acceperunt, gaudeant omnibus et singulis Indulgentiis concessis in Brevi Clementis XI incipien. « *Coelestium munerum* » editum die 12 Martii 1710.

Datum Romae die 6 Augusti 1757.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXVIII.

ORDINIS S. BASILII GRAECORUM MELCHITARUM CONGREGATIONIS
S. JOANNIS BAPTISTAE IN SOARIO

Ad humillimas preces P. Nicolai Saigh Abbatis Generalis nec non Abbatum Definitorum, et Monachorum, ac Monialium Ordinis S. Basilii Graecorum Melchitarum Congregationis S. Joannis Baptistae in Soario quorum Regulae et Constitutiones a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV nuper fuerunt approbatae per litteras in forma Brevis sub die 11 Junii 1757. Idem Sanctissimus Dominus Benedictus PP. XIV attento quod praefatus Ordo nullis gaudeat Indulgentiis pro diebus Sancti Fundatoris, Propagatorum, aliorumque Sanctorum prout coeteri Ordines Regulares, Indulgentiam Plenariam, singulis Christifidelibus confessis, ac S. Communionem refectis visitantibus Ecclesias Monasteriorum ejusdem Ordinis Monachorum ubicumque existentium; in Ecclesiis autem Monialium pro ipsis tantum, aliisque in earum Monasteriis degentibus in sequentibus festis anni diebus, videlicet Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi 25 Decembris, Epiphaniae Domini 6 Januarii, Paschatis Resurrectionis Dominicae, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, Assumptionis B. M. V. 15 Augusti, Nativitatis S. Joannis Baptistae 24 Junii, SS. Apostolorum Petri et Pauli die 29 Junii, Protectorum, S. Basilii Magni Fundatoris, S. Januarii, S. Michaelis

Archangeli 8 Novembris, SS. Joachim et Annae 9 Septembris, S. Joseph Sponsi B. M. V. 19 Martii, S. Nicolai Episcopi et Confessoris 6 Decembris, S. Macrinae Sororis S. Basilii Magni 19 Julii, nec non Plenariam eisdem Monachis; et Monialibus visitantibus pariter praedictas eorum Ecclesias in sequentibus festis, videlicet, Purificationis B. M. V. 2 Februarii, Annunciationis B. M. V. 25 Martii, Nativitatis B. M. V. 8 Septembris, Conceptionis B. M. V. 8 Decembris, Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi 6 Augusti, S. Antonii Abbatis 17 Januarii, SS. Athanasii et Cyrilli Episcoporum Alexandriae 18 Januarii, S. Gregorii Nazianzeni 25 Januarii, S. Ephrem Syri 28 Januarii, S. Leonis Papae 18 Februarii, S. Gregorii Papae 12 Martii, S. Benedicti Abbatis 21 Martii, S. Joannis Climaci 30 Martii, S. Georgii Martyris 23 Aprilis, S. Marci Evangelistae 25 Aprilis, S. Joannis Evangelistae 8 Maii, S. Mariae Magdalenae 22 Julii, S. Laurentii Martyris 10 Augusti, Decollationis S. Joannis Baptistae 29 Augusti, S. Simeonis Stylitae 1 Septembris, Exaltationis S. Crucis 14 Septembris, S. Theclae V. et M. 24 Septembris, S. Lucae Evangelistae 18 Octobris, S. Hilarionis Abbatis 21 Octobris, S. Demetrii Martyris 26 Octobris, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae 16 Novembris, S. Joannis Chrisostomi 13 Novembris, S. Catharinae V. et Mart. 25 Novembris, S. Sabae Abbatis 5 Decembris, S. Ignatii Episcopi Antiochiae et Martyris 20 Decembris, S. Stephani Protomartyris 27 Decembris, S. Euthymii Abbatis 20 Januarii, S. Isaiae Prophetae 9 Maii, S. Eliae Prophetae 20 Julii; ac insuper Indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum eisdem Monachis et Monialibus tantum visitantibus pariter praedictas eorum Ecclesias in aliis sequentibus Sanctorum Festis, videlicet. Praesentationis B. M. V. 21 Novembris, S. Silvestri Papae 2 Januarii, S. Agathae 5 Februarii, SS. Quadraginta Martyrum 9 Martii, S. Irenae V. et Mart. 5 Maii, S. Christinae V. et Mart. 24 Julii, S. Theodorae 11 Septembris, S. Euphemiae 16 Septembris, S. Sophiae 17 Septembris, S. Ananiae Discipuli Domini 1 Octobris, S. Euphrosinae 25 Septembris, S. Clementis Papae 24 Novembris,

S. Barbarae 4 Decembris, S. Ambrosii Episcopi et Doctoris 7 Decembris, S. Luciae V. et Mart. 13 Decembris, S. Anastasiae 22 Decemb.; die 6 Augusti 1757 in perpetuum benigne concessit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. E. Vicecomes Secret.

CCXXXIX.

1.^m *An Clausula « Diebus non impeditis etc. » quae opponitur in Decretis Officiorum generalium pro Defunctis in posterum sit apponenda? Et quatenus Affirmative.*

2.^m *An Missae quae dicuntur tempore Officii generalis pro Defunctis exposito Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, vel in Festis Sanctorum Ritus duplicis tunc occurrentibus gaudere debeant privilegio?*

Sac. Congregatio sub die 31 Martii 1759 respondit « Affirmative ad Utrumque ».

CCXL.

1.^m *An pro Monialibus descriptis in Albo Sodalitiorum subroganda sit Ecclesia suorum Monasteriorum in locum Ecclesiae a Sodalibus visitandae pro Indulgentiarum consecutione?*

2.^m *An Confessario pro tempore Monialium concedenda sit facultas impertiendi ipsis Monialibus Benedictionem Sodalitiorum in quibus Moniales sunt descriptae?*

Sac. Congregatio sub die 31 Martii 1759 respondit « Negative ad Utrumque ».

CCXLI.

Ut Christifideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in Sententiarum varietate super intelligentia verborum. « *Qui vere poenitentes, Confessi ac S. Communionem refecti, Ecclesiam visitaverint* » quae in Indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Sac. Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita discussis die 31 Martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, Eadem Sac. Congregatio fuit in Voto, Confessionem Sacramentalem quando in Brevibus apponitur pro

Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis qui sibi laethalis peccati conscii non sunt; nec non praefatam Confessionem suffragari etiam posse si expleatur in Vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiae visitationem spectat eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.

Factaque de iis per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua ejusdem Sac. Congregationis Votum benigne approbavit, illud que publicari mandavit quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum die 19 Maii 1759.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. E. Vicecomes Secr.

CCXLII.

URBIS ET ORBIS

Ut erga Parochiales Ecclesias, quae ob earum, tum dignitatem, tum antiquitatem magno semper in honore habitae sunt, Christifidelium amor magis, magisque augeatur, utque suam erga eas benevolentiam peculiarem demonstraret, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII praevio Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Voto, speciali gratia Altaris privilegiati quotidiani ad septennium omnes et singulas totius Orbis praefatas Ecclesias benigne decorari voluit, revocatis hujusmodi Privilegiis intuitu Paroeciae sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis; ea tamen adjecta lege ut quilibet Episcopus de hujusmodi gratia supplicet pro sua respectiva Dioecesi, et unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuscujusque Dioecesis Parochialibus Ecclesiis suffragetur. Praeterea, ne hujusmodi Privilegio fraudentur aliae Ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti Collegiatae, et Abbatiales Nullius, et Parochiales a se dependentes, Sanctitas Sua pari benevolentia modo supra indicato hoc idem Privilegium mox enunciatis Ecclesiis communicatum voluit. Expirato vero Septennio, Sede plena, Eadem Sanctitas Sua mandat, ut ipsimet Episcopi, et Abbates, Sede autem vacante, Vicarii Capitulares, sive in spiritualibus Abbatia-

rum administratores pro renovatione ejusmodi privilegii supplicent.

Ne autem Parochi expensis graventur, voluit insuper Sanctitas Sua, nihil omnino exigi posse, sub poena nullitatis privilegii, ab officialibus tum Episcoporum, quum Abbatum in certiorandis Parochis, sive in expediendis litteris pro designatione Altaris Privilegiati in unaquaque Parochiali Ecclesia Dioecesis. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum die 19 Maii 1759.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Secr.

CCXLIII.

San. Me. Sixtus V et Benedictus XIII universis Christifidelibus qui se invicem salutantes dixerint « *Sia lodato Gesù Cristo*, et respondentibus *Amen* » aut *in saecula* sive Italico sive Latino, vel quocumque alio idiomate id expresserint, quoties id egerint Indulgentiam quinquaginta dierum, et illis qui Sanctissimum Nomen Jesu et Mariae devote invocaverint Indulgentiam vigintiquinque dierum concesserunt.

Iis vero, qui praefata agere consueverint, si in Articulo mortis constituti et ore, vel si non potuerint, saltem corde Sanctissimum Nomen Jesu invocaverint, insuper Plenariam Indulgentiam adjecerunt.

Easdem Indulgentias tribuerunt Praedicatoribus, qui inter praedicandum Auditores hortati fuerint, ut modo supra exposito Sanctissimum Nomen Jesu laudantes se se invicem saluent, et eadem Nomina Jesus et Mariae devote invocent, coeterisque omnibus qui hanc salutationi formam usui esse curaverint.

Recitantibus tandem Litanias Beatissimae Virginis Mariae bis centum dies Indulgentiae elargiti sunt.

Cum autem Sanctissimo Domino Nostro Clementi PP. XIII humillime supplicatum fuerit, ut omnes, et singulas Indulgentias supramemoratas confirmare dignaretur, Sanctitas Sua praecibus

benigne annuens, easdem Indulgentias Apostolica auctoritate confirmavit. Datum die 5 Septembris 1759.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. E. Vicecomes Sac. Cong. Secret.

CCXLIV.

MONTIS PESSULAN.

Propositis dubiis a Reverendissimo Episcopo Montis Pessulani pro lucrando Jubilaeo ab eodem Sanctissimo initio sui Pontificatus indicto, videlicet.

1.^m *An in casu, quo quis peractis una hebdomada praescriptis operibus, inabsolutus remittatur ad aliud tempus, teneatur ille iterum, quae peregit tempore Jubilaei opera repetere, dum absolvetur, ad effectum lucrandi Jubilaei Indulgentias?*

2.^m *An qui disponuntur ad lucrandas Jubilaei Indulgentias, et quandoque ob negotia teneantur exire e loco ubi commorantur, ibique per duos aut tres dies commorari, possint in illo loco peragere quaedam ex praedictis operibus pro Jubilaeo?*

Idem Sanctissimus Dominus Noster ad Primum respondit « Non teneri in casu proposito repetere opera praescripta jam adimpleta ».

Ad Secundum « Posse peragere etiam extra locum Domicilii ».

Datum ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 28 Novembris 1759.

A. E. Vicecomes Sac. Cong. Indulg. Secret.

CCXLV.

MONIALIUM IN GENERE

Quum Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIII constiterit in Ecclesiis Monialium praeter Indulgentias Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus concessas, aliam et alias quandoque moris fuisse concedi infra annum Indulgentiam, et Indulgentias Plenarias ab omnibus pariter Christifidelibus earumdem Ecclesias visitantibus lucranda, praesenti decreto statuit

et mandavit ut in posterum quaecumque alia Indulgentia Plenaria etiam pro unica vice, quae praeter Indulgentias Ordinis in praefatis Monialium Ecclesiis cujuscumque Ordinis et ubicumque existentibus concedenda expostuletur, nonnisi pro Monialibus tantum coeterisque in Monasterio degentibus concedi possit et debeat. Datum Romae die 12 Martii 1760.

J. De Comitibus Sac. Cong. Indul. Secret.

CCXLVI.

Quum Christianus De-Merle Episcopus Synopensis Suffraganeus Eminentissimi Electoris Moguntini obtinuerit Apostolicum Breve vi cujus in Dioecesi Wormatiensi in omnibus Ecclesiis tam Collegiatis quam Parochialibus designare possit unum Altare privilegiatum pro Defunctis, sequentia dubia obveniant in executione illius Brevis de ipsis quaerit solutionem.

1.^m *An illud Privilegium ad Septennium obtineat pro singulis diebus totius anni, quandocumque Sacerdos approbatus in designato Altari Missam applicaverit pro certo Defuncto?*

2.^m *An Ecclesia in qua designatur Altare, debeat esse consecrata, vel saltem Altare lapideum consecratum, cum in hoc Dioecesi, in qua Religio Catholica nondum per saeculum inducta, per paucae numerantur Ecclesiae, vel etiam Altaria consecrata, sed ut plurimum super Portatilibus Missae celebrentur?*

3.^m *Cum in Brevis Apostolico solum de Parochialibus Ecclesiis mentio fiat, an non etiam istud privilegium ad Filiales Ecclesias extendendum, cum etiam in iis singulis saltem Dominicis et Festis, et quando Sepultura occurrit Divina habeantur, ne Catholici in Filialibus (quae olim omnes fuerunt Matrices, sed per introductum Calvinissimum ab Electoribus Palatinis, pastoribus suis destinctae et nunc tandem recuperatae, ita ut in illis simultaneum exercitium Religionis cum A Catholicis habeatur) sint praeter culpam deterioris conditionis, quam in Matricibus, quae per accidens Matrices factae sunt ob commodiorem sustentationem Parochi in uno loco quam altero,*

cui et post tres, quatuor, et quandoque plures Filiales ad deserviendum assignatae reperiuntur?

4.^m *Cum etiam Pagi reperiantur in quibus Pastor Catholicus quidem habitat, sed propria Ecclesia non potitur, ideoque assignatam acceperit domum publicam, in qua divina tractet; an non etiam Altare inibi positum vel alia Sacella domestica publico cultui tamen destinata gaudere possint privilegio Altaris, a Summo Pontifice pro Defunctis privilegiati?*

Relatis per me infrascriptum Sanctissimo Domino Nostro Clementi PP. XIII supra expositis dubiis, idem Sanctissimus respondendum esse decrevit.

Ad 1.^m Affirmative juxta Decretum Sac. Congregationis Rituum approbatum a Ven. Innocentio XI sub datum 4 Maii 1688 Pontificatus sui Anno XII.

Ad 2.^m In medio Altaris in quo Sacrum peragendum est, debet saltem reponi sacer Lapis consecratus cum capsula Reliquiarum SS. Martyrum.

Ad 3.^m Poterit extendi privilegium iis dumtaxat Filialibus Ecclesiis, in quibus Parochus functiones vere Parochiales exercet, uti sepelire mortuos, baptizare, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate, et similia.

Ad 4.^m Similiter dicendum, si in ejusmodi Domibus seu Cappellis publico cultui designatis Parochus Catholicus functiones vere Parochiales exercet.

Datum ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die Audientiae Sanctissimi 30 Januarii 1760.

J. De Comitibus Secret.

CCXLVII.

Beatissimo Padre

Il Cardinale Patriarca Delfino Arcivescovo di Udine essendo stato aggraziato da Vostra Beatitudine del Breve d'Indulto di poter concedere l'Altare Privilegiato quotidiano ad Septennium a tutte le Chiese Parrocchiali e Collegiate di sua Città e Diocesi, ed essendo al medesimo Card. Patriarca oc-